

mutari, (addens hanc causam, nostro ex oraculo,) quia prodidit Christum definito consilio & prædecreto Dei, Act. II, 23. Idem, in Resp. ad Dupl. Vorstii., p. 194 diuina, scribit, præscientia actionibus humanis ineuitabilem necessitatem imponit, quia Judæi Christum interfecerunt definito consilio & præscientia traditum crucifixerunt, & p. 361, consentaneum est voluntati Dei, quod iniustum est, id est, quod præcepto eius contrarium est, v. g., homicidium illud Judæorum, & proditio Judæ, vt alia omittam, quæ p. 158, 161, & 411, in eandem sententiam superaddit. BEZA, qui & in nostro oraculo commata immutauit, & Act. IV, 28, versionem suam ad hunc sensum Calvinianum accommodauit, pro fieri, passiuo, ponens actiuum, *facere*, vertensque, quæ desinieras *facienda*, in P. 2, Resp. ad Act. colloq. Momp. p. 180, Deum, affirmat, velle & decernere quædam peccata, quoniam definito Dei consilio Judæi Christum crucifixerint. Vtrum reliqui Scriptores Reformati recentiores, qui vulgo putantur his esse meliores, multum ab his discrepent, illud quorundam expressa verba edocebunt. Enim vero FRIDER. SPANHEM., in Dub. Euangel. Dub. XXXIII, p. 277, obseruat, non dici illa definita fuisse Dei consilio, quæ Christo erant patienda, sed quæ fecerunt Herodes, & Pilatus, adeoque & actiones illorum a Dei decreto pendere, prouocans ad Luc. XXII, 21, sq., Act. II, 23, & IV cap. 28, idque maxime vrgens, quod de Deo dicatur, non *προεΐδς*, vel *προέγνω*, quæ facilius eludi possent, sed *προέβλεψ*. Sic & PAVLVS EMBERVS, de Prædest. & Reprob., cap. IV, n. 8, non est veritus asserere, quod, quæ circa mortem Christi contigerint, & quæ Herodes, Pontius Pilatus & reliqui fecerint, illa, iuxta diuinum consilium & prædestinationem, fecerint, ad nostrum prouocans oraculum, & ad Act. IV, 27, sq., de quo WERNSDORFIVS, dicto loco sic iudicat: Hoc ne quidem, pietate salua, potuit affirmari. BARTHOLD. HOLTZFVSIVS, in Tract. Theologico de Prædestin. & Reprob. etsi alias a Calvinianorum placitis longius, quam reliqui, recedit, in eo tamen his etiam adhæret, vt & Christum prædestinatum ad mortem, & Judæ, proditoris, prædestinationem ad suum facinus, concedat, pag. 20, 21, 51, 52, & 68. Tum vero durissima illa verba Caluini, Bezæ, & reliquorum antiquiorum, supra allegatorum, non solum non reii-

ciunt